

XI. 1 $\frac{1}{2}$ Q.

(cat. 4, 22-33^b)

23
CAROLI FERDINANDI HOMMELII
ORDINARIJ LIPSIENSIS ET HOC TEMPORE
ACADEMIAE RECTORIS
ORATIO INAUGVRALIS
DE
ORDINARIIS FACVLTATIS
IVRIDICAE LIPSIENSIS
DIE XIX. OCTOBRIS RECITATA



LIPSIAE ANNO MDCCCXIII.
EX OFFICINA LANGENHEMIA.

20

CAROLI TERCIANDI HOMINUM
ORDINARIUM LIPSIAENSIS ET HOC TEMPORE
ACADEMIAE RECTORIS

ORATIO INAUGURALIS

DE

ORDINARIUM FACULTATIS
IURIDICAE LIPSIAENSIS

IN DIEbus OCTOBRIIS REGISTARI



LIPSIAE ANNO MDCCCXXXIII

EX OFFICINA UNIVERSITATIS



EXRECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE
ILLVSTRISSIMI COMITES
AUDITORES CAETERI SVMME VENERABILES
ILLVSTRES ET EXCELLENTISSIMI
VOSQVE COMMILITONES ADMODVM DILECTI

Sic DEO immortalī, sic DIVO PATRIAE PATRI, sic intimo eius SENATVI placuit, vt in locum Baueri, viri illustris, succederem. Quae quidem fortuna non solum antefero, neminem suo loco depello, nec quisquam in hac tota vrbe est, qui conqueri possit, sibi iniuriam fieri. Tameſi vero plane intelligo, hanc liberalitatem gratiarum actionem adeo abundantem et copiosam exigere, vt, si sensui nostro et cupiditati satisfacere velimus, vna clepsydra vix totam capiat, tamen priusquam illam suscipio, priusquam vota nuncupo pro publica salute, priusquam pie et candide Domino nostro FRIDERICO CHRISTIANO, Serenissimo Regalis Celsitudinis Electori meum animum submitto, videmini Vos, Auditores venerandi, imo videntur potius inueterati huius scholae mores a me postulare, vt aliquid audientibus gratum, adeoque non subtile nimis, sed popolare praeloquar, neque viam deseram, quam maiores, cum scholasticum munus susciperent, huc vsque tenuerunt. Mihi vero vix argumentum aliud, in tanta, qua circumscriptus eram, temporis breuitate, commodius aut magis opportunum in mentem venit, quam Ordinariorum veterum et antecessorum meorum, quorum hic pictas imagines videtis,

videtis, praeclara merita et vitas breuiter enarrare. Nam cum praeuiderem, hanc fere extemporaneam orationem me non posse luminibus eloquentiae ita exornare, vt quodammodo placeat: cogitarem autem, historiam, etiamsi haec ornamenta desint, satis per se ipsam delectare, quia homines sua natura sunt curiosi scire, quales ante nos homines fuerint, et quid in iis locis, vbi nunc commoramur, actum sit? habituram esse putabam aliquam oblectationem, etiam incomtam, etiam concisam et breuem commemorationem eorum, qui in hac cathedra, ante me, primum locum tenuerunt. Horum vultus igitur depictos in hisce, quos videtis, tabulis et in summo appensos, haec ora virorum illustrium, ne semper taceant, ne plane muta et emortua videantur, efficiam, vt hodie per me sua rata et merita loquantur.

I.
CONRADVS
THVS, *Ordinarius factus*
1499.

In recenti ac vix condita a FRIDERICO BELLICOSO Lipsiensi Academia, primus omnium Facultatis nostrae Ordinarius fuit CONRADVS THVS, *Barbarus*, qui non cum caeteris sapientiae magistris WENCESLAI insolentia et asperitate fugatis, Praga in hanc urbem venisse, sed ab Erfurtenfibus arcessitus videtur. Legimus enim in huius Academiae fastis, eum illic Rectoratum anno MCCCCIII. tenuisse, in quibus doctor Decretorum appellatur. Sed postquam Lipsiam venit, etiam Legum doctor, et sic Iuris Vtriusque factus est. Successores habuit IACOBYM RADEWITZIVM, deinde ARNOLDVM WESTPHALVM. Licet enim in Albo collegii nostri non satis diligenter scripto amborum nomina ommissa sint, nullus tamen dubito veteri anonymo scriptori *) a MADERO edito, qui haec probe scire potuit, et diserte eos *Ordinarios* vocauit, fidem adhibere. Quid? in ipsis etiam nostri collegii tabulis eo loco, quo Ordinarii recensentur, non sine causa additum est: Exhiberi in his Ordinariorum nomina, quae haberi potuerint et quantum de iis constet. Ita nimirum in vetusto, quem dixi, Statutorum libro scriptum est: *Catalogus Ordinariorum Facultatis iuridicae in Academia Lipsiensi, quantum ex actis Facultatis colligi potuit.* Est enim scire necessarium, haec Ordinariorum nomina illic collegisse demum recentiore quendam FRANCISCVM ROMANVM, cuius etiam manus nomina eorum ipsi huic, quem diximus Statuto-

*) Scriptorum insignium, qui in Lipsiensi, Wittebergensi et Francfordiana Academia, a fundatione ipsarum vsque ad annum 1515. floruerunt, Centuriae; ab auctore eius temporis Anonymo concinnata; nunc vero in luce edita a Ioach. Ioh. Madero. Helmstadt. 1659. 4.

Statutorum libro inscriptis. Quamobrem credibile est, nonnullos fuisse omisos, inprimis cum et temporis ratio et magnus inter CONRADVM THVS et DONEKORPIVM annorum hiatus, in hoc nostri collegii Albo vnum alterumque deesse, attentiores moneat.

Quem igitur, ob has grauissimas causas, intercalamus, IACO-
BVS RADEWITZIVS, patria Ienenfis, iureconsultus admodum II.
IACOBYVS
RADEWITZ
Ordinarius
circiter 1427.
Mortuus 1436. disertus fuisse dicitur, qui etiam carmina fundere didicisset. Is in gymnasio Patauino, vna cum PANORMITANO, anno MCCCCXI. supremos iurisprudentiae honores capiens, tam propitios praeceptores habuit, vt FRANCISCVS ZABARELLA, qui, iam cardinali dignitate et purpura fulgens, vtrosque vno die biueto exornabat, in oratione palam asseueraret: *duo se diuersae genti, Italici puta Alemanisque, luminaria accendere*, quod postea experimento comprobatum. *Cum enim, IACOBYVS noster,* verba sunt illius Maderiani scriptoris, *tandem iuridicae Facultatis cunctorum suffragio plurimis annis ORDINARIATVM gereret, tantum de se excitauit opinionem, vt, eius ingenio consiliisque, Saxoniae Ducatum, Imperii Electoratam, FRIDERICVS Misniae Marchio ex D. SIGISMUNDO se assecutum, baud obscure fateretur.* Nempe Radewitzius noster FRIDERICO BELLICOSO in aurem dixerat: Lauenburgicos duces propterea, quod simultaneam inuestituram nec acceperant nec vnquam renouissent, ALBERTO improli in Septemuiratu Saxoniae atque ei annexis Electoralibus terris, solo agnationis iure, succedere non posse, quia ea res non communi, sed Saxonico iure aestimanda sit. Peteret ergo hoc a SIGISMUNDO tanquam vacaturum et ad imperium reuersurum beneficium. Tale quis dubitauerit placuisse principi consilium? Dico ergo audiens protinus assensit et impetrato, quod petierat, ab imperatore beneficio, postea, (per iocum, nescimus, an serio?) saepius dixisse fertur: *Se, per doctorem Lipsensem, ex marchione Electorem Imperii factum esse.* Fasti Rectorum Lipsensium Iacobum nostrum anno MCCCCXII. vix ex Italia reuersum, et iterum MCCCCXIX. scepra Academiae tenuisse, perhibent.

Tertius Ordinarius ARNOLDVS WESTPHAL, mer- III.
ARNOLDVS
WESTPHAL
Ordin. 1436.
abijt 1440.
mortuus 1468.
aet. LXVII. catoris filius, quem Decretorum doctorem Lubeca, vbi anno MCCCXCIX. natus est, Lipsiae dedit, atque iterum deinde eripuit. Nam ius pontificium diu professum, Lubecensis ecclesia sibi anno MCCCCXL. primo Decanum, deinde MCCCCXLIX. Episcopum eleuit. Sic in patriam, sic ad compopulares reuersus est. Primariam autem



autem apud nos cathedram tenuisse, idem ille Maderianus scriptor his verbis attestatur: *Erat ingenio industrius, orator disertus, Artium et Philosophiae undecunque doctissimus, tam carmine, quam prosa concinnus. Hic cum esset, post capessa magisterii in artibus insignia, in Dialecticis et Philosophia acerrimus disputator, inditum natura et studio ingenium iuridica peritia adeo exacuit, ut breui super coaetaneos coalescens, ORDINARIATVM iuridicae scholae assequeretur.* Deinde additum: *Claruit in studio Lipsensi iuridicae facultatis Ordinarius An. D. 1436.* Hoc anno etiam Academiae Rector fuit.

IV.
CONRADVS
DONEKORP
Ordin. 1440.
mortuus 1449.

Post hunc CONRADVS TONEKORP, siue, ut in Annalibus Rectorum Lipsiensium rectius scribitur, DONEKORFF. Is MCCCCXL. anno, ob typographiam, siue Argentorati siue Moguntiae inuentam, nobili, magnificus rector Academiam moderabatur, quo ipso anno et princeps Ordinarium eum constituit. Homo non tam doctrina, quam consilio potens atque magis peritus fori, quam literatus. Nam, praeter nomen, nihil de eo perennat.

V.
THEODORI-
CVS DE
BVRGS-
DORF Ordin.
factus 1749.
abiit 1463.
mortuus. 1466.

Multo celebrior, quintus in ordine THEODORICVS DE BVRGSDORF, siue ut alii scribunt: *Bogksdorf*, siue etiam, ut Album Rectorum Lipsiensium anno MCCCCXXXIX. habet, THEODO-
DORF Ordin. RICVS BYCKENS DORF, eques Silesius, qui, quo tempore Graecorum imperium, capta a Mahomete II. Constantinopoli, desiit, collegio praefectus est. Glossatoris elogio eum exornare placet, quia *Speculo Saxonico* vltimas Glossas easque latinas adpersit, quae in Zobeliana editione supersunt. Neque has notulas tantum, sed etiam Indicem in eadem Saxoniae leges siue Repertorium, deinde Concordantiam *Speculi* edidit, atque orationes scholasticas quam plurimas habuit, quae etiam manuscriptae in bibliotheca Paulina supersunt. Cineres et ossa viri incomparabilis non Lipsia, sed Numburgum habet. Nam ex doctore scholastico, cum supra annos quatuor et viginti iura docuisset, anno MCCCCXLIII. episcopus Numburgensis factus est. De hoc praeclearo ICTO et caeteros praecellente, ut, quae dici plura poterant, in viam summam contrahamus, audeo, quod exploratum habeo, palam pronuntiare et confirmare omnibus: Non habuisse nostrum collegium Ordinarium alium, huic doctrina et fama comparandum.

VI.
IOHANNES
SCHEIBE
Ordin. factus
1464. mortuus
1479. d. 8. Sept.

Burgsdorfium sequitur IOHANNES SCHEIBE, de cuius ius meritis et scriptis nihil innotuit. Quamabrem ad

IOHAN-

❁ ❁ ❁

7

IOHANNEM AB EBERHAVSEN, iuris pontificii VII.
doctorem progredior, quem **IOHANNIS AVERBACHII** Processum **IOH. AB E-**
iuris commentario illustrasse constat. Anno Millesimo Quadringente- **BERHAV-**
simo Sexagesimo Tertio fasces Academiae sumit, atque in Albo nostro **SEN Ordin.**
Rectorum, ne patriam ignoretis, *Goettingensis* vocatur. Quiescit in *factus 1480.*
templo Thomano, prope altare, sepultus. *mortuus 1484.*

TENBACH inclaruit, ex nobili et florente adhuc Breitenbachio- VIII.
rum familia ortus. Hunc Anonymus ille Maderianus, quem iam ali- **IOHANNES**
quoties laudauimus, adeo arguti ingenii fuisse praedicat, ut adolescens **DE BREI-**
in Perusina schola, vbi litteris operam dabat, de quibuslibet iuris quae- **TENBACH**
stionibus stante pede, nec vllis libris consultis, certo die se respon- **Ordin. 1484.**
sum esse, publice edixerit, et, cum dies venisset, tanta omnium admi- **mortuus 1507.**
ratione interrogantibus responderit, ut doctores Perusini de eo exclamauerint: *Iste eques Alemannus IOHANNES est vere doctus.* In patriam reuersus ab Episcopo Misinensi Officialis factus, iudiciis consistorialibus atque simul praefecturae Stolpensi per multos annos praefuit, vsque dum Lipsiam vocaretur, ut collegium Ictorum regeret. Hunc primum habemus Curiae Prouincialis assessorem, si quidem hoc tribunal anno **MCCCLXXXVIII.** **ALBERTVS** Dux Saxoniae Lipsiae, non aliam ob causam, quam quod hic *Studium* erat, quo nomine illis temporibus scholae designabantur, fundauit atque ut Ordinarium Collegii Ictorum supremam in doctorum sublelliis assessuram obtineret, instituit. Quod scripta **BREITENEACHII** attinet, laudantur eius *Additiones ad Lecturam Iobannis Andreae super arbore consanguinitatis et affinitatis*, quae post mortem auctoris cum **GERDTII** notulis edizae atque impressae fuerunt anno millesimo quingentesimo quinto. Superfunt etiam in Bibliotheca Paulina *Repetitiones* quaedam et manuscripta *Consilia*, quae in lingua Germanica composuit. Neque iuris tantum, sed rerum diuinarum quoque tanta in eo peritia, ut cum monachis, sancti Dominici regulam professis, super immaculata conceptione Mariae virginis admodum acrem controuersiam, cum summa partium contentione, agitaret *), vsque dum Pontifex Romanus ipsi et coenobitis illis silentium imperaret. Erat et alia cum theologis, pontificem omnia posse, profitentibus ei contentio, quam **IOECHERI** verbis

*) De hac controuersia legantur Unschuldige Nachrichten, anno 1718. pag. 371. seq.

verbis narrare placet: Fuit inter primos, inquit, qui se delictorum veniae, indulgentiarum titulo celebratae, eiusque abusu et nundinationi opposuerunt. Concesserat scilicet Innocentius octavus, anno MCCCCXCI. ut sumtus ad reparandum templum Freybergense colligeretur, iis omnibus qui quotannis vigesimam partem florenti Rhenani soluerent, potestatem per viginti annos vescendi butyro et lacticiis per totam Quadragesimam, quatuor temporibus et in vigiliis festorum. Nimirum sibi arrogare potestatem Breitenbachio multisque Dominicae et Franciscanae sodalitates videbatur pontifex, isque negabat, pontificem ecclesiasticis legibus solvere posse ciues. Huc vsque IOECHERI verba. Meministis nimirum Auditores, ex recentioribus huius scholae professoribus, hunc IOECHERYM duo programmata, KAPPIVM vero vnum de Breitenbachio scripsisse, in quibus laborum pertinaciam in eo laudant, vnus etiam affirmat, Agnetem nobilem virginem DE BERLEBSCH in matrimonium duxisse, vnde alium nobilissimum virum GEORGIUM DE BREITENBACH, qui tempore Reformationis idem illud Ordinarii munitus in nostro collegio tenuit, descendisse arbitrantur, de quo inferius dicemus. Quod autem ALBINVS et SPANGENBERGIYS nostrum ad Francofurtensem Academiam, concessisse referunt, quoniam in albo istius scholae Breitenbachii nomen nullibi extat, affirmare non audeo, sed propterea potius in dubitationem adducere, quod IOECHERVS, in Programmata altero superius laudato, sat certis monumentis demonstrat, anno MDIV. adhuc in nostra vrbe floruisse. Quidquod? PEIFERVS in Lipsia sua, licet annum falsum adscripserit, tamen hoc pro certo affirmat, aedi, quam nouam dicimus, corpus illatum fuisse cuculla monachali vestitum, quae vana illorum temporum superstitione fuit. Nam et BALDVS, vt angelis animam excipientibus gratior esset, se in veste cilicina fune constricta et fenestratis calceis sepeliendum curauit. Sic et delirant homines, cum agunt animam.

IX. Sed ad successorem eius IOHANNEM SCHANZIYM, IO. SCHANZ Halensem, properamus, cuius nequidem annalis honos fuit, cum breui Ordini. 1508. post, quam eo cohonestatus esset, in coelum vocaretur. mortuus 1509.

X. Decimus Ordinarius Lipsiensis scholae IOHANNES LIN- IOH. LIN- DEMAN, Istebiensis, cuius in choro templi Thomani epitaphium DEMAN simul vrbis consulem fuisse, indicat. Ordini. 1509. mortuus 1514.

IOHAN-

IOHANNES KOCHER, siue Koechel, *Göerlizenfis*, illi subrogatur, a quibusdam per errorem *Rochell* dictus, de quo nihil aliud, quam fuisse, commemorare possum. At tamen, ne plane de eo nihil dixisse videar, hoc leue addo, anno MDXI. doctorem iuris vtriusque creatum esse, atque in nostro doctorum albo ad hunc annum Kochelium scribi.

XI.
IOHANNES
KOCHER Or-
dinarius 1514.
mortuus 1519.

Iam duodecimus in ordine **SIMON PISTORIS**, SIMONIS medici filius, patria Lipsiensis, praefes Ordini datur anno eodem, quo **CAROLVS V.** imperator electus est. Vix trigesimum aetatis annum ingresso hic honos contigit, nec vlli hac aetate tantum munus conceditum. Adolefcentem in Italia **IASON MAYNVS**, vterque **CVRTIVS** ET **PHILIPPVS DECIVS** litteris enutriuerant. Disputationis cum **ECKIO** instituendae causa praesenti in hac vrbe **LVTHERO** aliquantulum fauuisse, ipse hic doctor Martinus in epistola ad **SPALATINVM** his verbis laudat: *Aber, alle die uns gutes gönneten, beschuehen uns heimlich. Doch hatte uns zu Gaste D. Heinrich Auerbach, desgleichen D. Pistoris Ordinarius, der jüngere.* Constat eum praesidio collegii se ipsum abdicasse, postquam **GEORGIVS** dux Saxoniae eum sibi cancellarium, quae illis temporibus suprema in aula potestas, elegerat, de qua fortuna ipse in aduersariis suis haec notauit: *Hoc anno factus sum cancellarius non parum inuitus. Maluisssem enim vacare professioni, et forte maiori cum gloria.* Singulare est, quod de eius discessu **ZACHARIAS SCHNEIDER** in Chronico Lipsiensi pag. 330. memoriae mandauit, quasi bis Ordinarius fuerit. **SIMON PISTORIS** Ordinarius, inquit, *ist anno 1523. von Herzog Georgen zu Sachsen zum Canzler berufen, und an dessen statt D. Georgius von Breitenbach Ordinarius verordnet. Nach Absterben aber Herzog Georgens ist er abermal Ordinarius zu Leipzig worden und bis anno 1542. dabey verblieben, in welchem Jahr Herzog Moritz ihn wiederum zu seinem Canzler bestellet.* Hac dignitate Legatus Saxonum comitiis Augustanis anno MDXXX. sacrorum causa habitis, atque his finitis Aulae Dresdensi interfuit, vsque dum turbulentioris vitae omnino pertaesus in praedium autum, cui nomen *Seuselitium*, vno infra Misniam lapide, se reciperet, in quo sepultus est, felix viginti trium liberorum parens, quos ex triplici matrimonio progenuerat. **MELCHIOR ADAMI** eum consueuisse referit, media nocte post horam duodecimam furgere et ad quartam vsque, qua lectum repecebat, lucubrare. Plura de eo etiam referre poteramus,

XII.
SIMON PI-
STORIS Or-
dinarius 1519.
abiit 1523.
mortuus 1562.
die 3. Dec.
aer. LXXIII.

tamen, quoniam nobis properandum est ad caeteros, nihil amplius, quam elogium addimus, quod REVSNER eius imagini subscripsit:

Tura prius docui, mox scrinia Saxonis aulae

Eloquio rexi, consilioque meo.

XIII. Hunc in Ordinarii munere excipit **GEORGIUS DE BREITENBACH**, eques Misnicus, quem quidam superioris et iam a nobis commemorati **IOHANNIS DE BREITENBACH** pronepotem putant, de quo tamen, cum hoc ratio temporis vix pariat, addubito. Qualis fuerit, penitus ignoramus, nec quicquam de eo memorabile, nisi collegium per duos et viginti annos ordinasse, et cultum sacrorum **LUTHERI**, cui antea infensissimus erat, tandem tempore et necessitatibus ita cogentibus, palam professum esse. Mutuo **LUTHERVS** odio in colloquiis iureconsultum diabolicum et Turcam vocare consuevit, ut apud **REBENSTORIVM** legimus his verbis: *Martinus Lutherus fecit classes Iuristarum: Quidam sunt naturales, ut D. Georgius Brück, Pontanus; Quidam artificiales, qui valent consiliis multis, ut Schurf et D. PISTORIVS, qui practica languent; Quidam sunt plane probi ut D. Sebastian Münster, qui est legum doctor; Quidam omnino sunt diabolici, ut Turca BREITENBACHIVS.*

XIV. Iam ad **LVDOVICVM FACHSIVM Salzensem**, trans-eamus, Ordinarium simulque consulem Lipsiensem, cui **IOACHIMVS FACHS** **CAMERARIVS** hoc monumentum posuit:

Non habuit meritis ingenioque parem,

et paucis deinde verbis interiectis:

Iudiciorum idem regula certa fuit.

Huius imaginem, quam domi in mea collectione priuata possideo, in hoc auditorio frustra quaesiveritis. Doctorem Lipsia creauit anno **MDXXI**.

XV. **Fachsio** gener successit **MODESTINVS PISTORIS**, filius Ordinarii **SIMONIS**, quem supra celebrauimus. Cum in Italia **ALCIATVM** et **MARIANVM SOCINVM** audiuisset, atque inde in patriam reuertere, tantam prae se ferebat eruditionis et sapientiae laudem, ut nondum trigesimum octauum aetatis annum attingens, ordini praeponeretur, atque eadem, quae **FOCERO FACHSIO**, rara felicitas ei obtingeret, ut vno eodemque tempore collegii iuridici praeses et ciuitatis consul esset. Quid mirum ergo, si duplicatos labores non sustinuit diu, sed relicta vxore grauida, nondum quinquagenarius vtrique ordini triste sui desiderium reliquit. Quaestiones eius et Respon-

sponsa tantae in foro auctoritatis, vt quidam HERENNII MODESTINI memores, ob nominis similitudinem, PISTOREM nostrum *Saxoniae Modestinum* appellare non dubitauerint. In epitaphio *aulae gloriae et fama scholae* cluet, deinde additur:

- - - - *Consultior illo*

Consule nullus erat, nec magis vrbis amans.

et breui post:

- - - - *terras ASTREA perasas*

Noluit hunc terris longius esse super.

Quod autem diximus MODESTINVM PISTOREM anno MDLIV. ad hanc dignitatem euectum esse, sola auctoritate verusti illius Statutorum libri, neque tamen, vt iam supra dictum, satis accurati, suffulcitur. Manauit tamen ad nos haec quoque, sed paulo obscurior, fama, fere per omne sui praesidii tempus tantum vicarium fuisse alterius Ordinarii VLIRICI MORDEISENII siue Mordisii, Cancellarii Dresdensis, quam traditam nobis per manus fabulam initio adspernabar, tum quod MELCHIOR ADAMI in elogio MORDISII hunc Lipsiae supremam cathedram tenuisse, non commemorat, tum etiam, quod de ea re Album collegii, quod modo nominauimus, tacet. Iam vero ea res mihi certior facta atque ex indubitatis documentis satis explorata, siquidem in STEPNERI Inscriptionibus Lipsiensibus non solum anno MDLVII *) verum etiam anno MDLXIII **) MODESTINVS noster se adhuc *Vice-Ordinarium* scripsit. Attamen in monumento sepulchrali, apud eundem STEPNERVM *Ordinarius* dicitur, ex quo colligi potest, duobus postremis annis verum et genuinum, superioribus autem tantummodo substitutum collegii praesidem fuisse. Vtrum vero MORDISII, an alterius cuiusdam Vicarius fuerit? aliis diiudicandum committimus.

B 2

Iam

*) Stepneri Inscript. Lipf. num. 1697. ERAT ANNI LVII. CONSVL MODESTINVS PISTORIS I. V. D. ET VICE-ORDINAR.

**) Idem Stepnerus num. 1417. MEMORIAE PIAE BARBARAE PISTORIS HONESTIS. MATRONAE PIETATIS STUDIO ET VERA DEI VENERATIONE SPECTATAE FOEM. QVAE PIE DEFVNCTA IN CHRISTO D. XVIII. MART. MDLXIII. D. MODESTINVS PISTORIS I. V. D. VICE-ORDINARIVS AC CONSVL LIPS. CARISS. CONIUGI CVM LVCTV ET VLTIS LACRYMIS F. C.



XVI. Iam tu mihi saluae litterarum decus **IACOBE THOMINGI**. Tu exterus et natione Pomeranus, Saxonicas consuetudines ita didiceras, vt, cum Elector **AVGVSTVS** suas Constitutiones meditaretur, te in consilium adhibendum putaret. Conuocabantur fellicet eo tempore sapientes ex vtraque schola, ex Wirtenbergensi **WESSENBECCIUS**, **TEVBER**, **IOACHIMVS A BEVST** et **SCHNEIDWINVS**, ex Lipsiensi autem **THOMINGIVS** noster et **BADEHORNIVS** consul. Permittite quaeso, Auditores, vt breue carmen, quo **LAVRENTIVS FINKELTHAVSIUS** hunc **THOMINGIVM** sibi praeceptorem expetiit, recitare liceat:

Te mihi doctorem, te, clare IACOBE! viarum

In vasto legum gurgite posco ducem.

Eia age doctorum stros delibate THOMINGI!

Eloquii genitor! Pegasulumque decus!

O legum interpres diuine! o juris amissis!

Quem Themis ipsa colit, et quae sunt reliqua.

XVII. Ille vero praeclarus homo moriens lampada **BALTHASARI SCHELHAMERO**, *Glauchensi* tradidit, de cuius libris, quos nullos scripsit, frustra **LIPENIVM** aliosque indices sollicitauimus. Hunc excepit **IOHANNES MONACHVS**, *Schnebergensis*, etiam Lipsiensis consul. Accepto a Ienenfibus liberalium artium magisterio, cum in ista Salana extra ordinem aliquamdiu iurisprudentiam summa laude docuisset, eum fama celebrem Respublica Noribergensis sibi syndicum elegit, vnde ad Lipsiensem Ordinariatum arcessitus est. In Basileensi schola summis in iurisprudentia honoribus ornatum fuisse, me **BEYERI** epigramma docuit:

*IOHANNEM MONACHVM sophiae Salanae magistrum,
Doctorem iuris sed Basilea vocat.*

XVIII. **IOHANNES MONACHVS** Ordinarius 1598. mortuus 1598. d. 10. Aug. aetat. LXIII.

Hoc consule deserunt ciues nostri super sanctorum reliquias iurare, sicuti attestantur vetusta biblia, quae praetorium Lipsiense habet, in quibus scriptum est: *Gentes per coelum, stellas, deosque fictitios iurarunt. Iurarunt et Romani per Fidem, quam Deam sinxerunt. Non est mirum, quod maiores nostri Pontificiorum erroribus inescati sanctorum Reliquias inter iurandum existimauere tangendas. Euidenter eas exhibuit theca ista, quae, quoties haecenus iuratum fuit, usurpata. Verum, ne cui in hoc actu religioso conscientiae iniiciatur scrupulus, haec in posterum iurantes spectabunt SS. Biblia, quae loco istius thecae, pro tempore rempublicam administrante Dn. IOHANNE MONACHO I. V. D. iuridicae Facultatis*
Ordi-

Ordinario et Professore, paravi curavit M. Tobias Moselius. Haec obiter. Caeterum placidis moribus fuisse virum, sepulchrale monumentum in aede diui Nicolai attestatur, in quo dicitur carus omnibus, nemini molestus vixisse. Magna laus, si haec cuidam contingat! Monacho relicto ad

MICHAELM WIRTHIVM, natione Silesium accedimus, quem nondum virum, anno aetatis vigesimo septimo, Nationes nostrae quatuor Rectorem creauere. Deinde Ducis Coburgensis cancellarius factus, cum in palatiis principum aliquamdiu militasset, amore litterarum facile se exorari patiebatur, vt ad scholam rediret, in qua iuuentutem studiosam mutuo amore adeo dilexit, vt, ex duplici matrimonio liberis non susceptis, ne plane orbis moreretur, quatuor millia florenorum conuictorio, ad duodecim adolefcentes nutriendos, relinqueret.

Iam seculum decimum septimum illucescit, in quo obuenerit **LEOPOLDVS HACKELMAN**, *Stadenfis*, vigesimus ordinarius, archiepiscopo Magdeburgensi, antequam Lipsiam vocaretur, a consiliis. Is, quo die in Ienensi Academia doctor creabatur, quasi **THEMIDE** pronuba, sociam sibi vitae deuinciebat **MARGARETHAM** Henrici **SCHNEIDEWINI** viduam, filiam doctoris **PENSOLDI**. Multos idem hoc fecisse comperio, vt, minuendorum sumtuum causa, vno eademque die, et doctore et nuptiale conuiuium instruerent.

Deuenio ad successorem eius **FRANCISCVM ROMANVM**, Seniore, *Coethena Anhaltinum*, quem **IOECHERI** Lexicon cum alio confundens, insigni errore, ex **WITTENII** Diario hausto, anno **MDCXLVIII** mortuum ait, cum potius die **XIII. Ianuarii MDCXXXV** defunctus sit. Eum, antequam ad hoc munus admoeretur, fere negligentiorum fuisse in officio, **Visitationis Decretum IOHANNIS GEORGII I.** quod in Codice Augusteo extat, quodammodo innuit, in quo scriptum est: *Demnach auch wider D. Francisci Romani Person wegen geübten Unfleisses und Gezänkes Beschwörungen eingekommen*, et alio loco in eodem Codice Augusteo: *Sir wollet D. Francisko Romano, das er in 3. Jahren zu keinen Conuent kommen, fürhalten, und denselben künstig mit mebrern Fleiße beyzuwohnen, oder seine Stelle zu resigniren, untersagen.* Hac ignominia tactus, adeo se ipsum cohibuit, vt quadriennio post etiam Ordinarius fieret. Vir admodum eloquens fuisse dicitur, in negotiis cognoscendis velox, longo rerum usu exercitatus atque, vt ingenio praestans, ita iudicio perspicacissimus.

XIX.

MICHAEL WIRTH Ordinarius 1599. mortuus 1611. d. 3. Decbr. aetat. LXIV.

XX.

LEOPOLDVS HACKELMAN Ordinarius 1612. mortuus 1620. d. 11. Noubr.

XXI.

FRANCISCVS ROMANVS Ordinarius 1635. d. 13. Ian.



Filium reliquit plane cognominem Codicis professorem et Academiae Syndicum.

XXII. **SIGISMVNDVS FINKELTHAVSIVS.** Maiorem nominis gloriam adsecutus SIGISMVNDVS FINKELTHAVSIVS. Hic quoque civitatis Consul, non Academiae solum, sed et urbi utilis, studiosis aequae, ac oppidanis civibus longe carissimus; utriusque reipublicae decus. Primus hic Lipsiae graece conscriptam disputationem *περὶ ἀδυνατοῦς ψυχῆς* graece defendit, atque dirutum tempore belli tricennalis hoc Auditorium Petrinum restituit, cuius miserandum statum ipse, in oratione adiciali, his verbis deplorat: *Mense Octobri, inquit, Petriano Collegio a Caesarianis pariter et Electoralibus militibus vis illata est magna, auditorium, hypocausta, et aedificia reliqua habitationibus et publicis exercitiis destinata partim glandibus ferreis, partim ab excubiis ibidem locatis ita deformata sunt, et tam grandem senserunt ruinam, ut haram potius, quam Iustitiae aram, ibi locorum conspicias.* Nihil vero FINKELTHAVSIVS pace sancita prius habuit, quam ut resciceret collapsa, et sacrarium hoc Themidis restitueret. Huius facti memorem appendit deinde hanc votivam tabulam, quam litteris aureis inscriptam videris supra fores, atque simul oratione habita eo die docuit: *Nunquam effugisse miseras, qui doctos homines et litteras edissent, contra vero feliciter et prospere omnia cucuisse iis, qui artes liberales amarint et doctos homines coluerint.* Quas noster publicavit Observationes Practicas magni facio, licet singulares opiniones non raro tueantur, qualis illa est, quam magno apparatu defendere conatur: absentem non septuagesimo, sed centesimo demum anno, mortuum videri. Dresdam dum reipublicae causa proficiscitur, morbo caprus perit, corpus tamen in nostram urbem deducitur et in templo Paulino tumulatur.

XXIII. **BENEDICTVS CARPZOVIVS.** Finkelthausio doctori celebri successit, magnus ille BENEDICTVS CARPZOVIVS, patre prognatus cognomine, Vitebergense IGto, adeo sibi indulgente, ut plerasque Europae provincias iustrandi ac populorum varios mores cognoscendi filio potestatem faceret, et sumtus ad id liberaliter subministraret. Dum autem ulterius proficisci cupit, reuocatur per litteras, quae certiore faciant: ipsi locum extraordinarium in Scabinatu Lipsiensi decretum esse. In hoc collegio, iam anno MDCXXXIII. Senior factus, tam claros sapientiae radios de se spargebat, ut non solum in prouocationum consilio, quod temporarium tunc nec perpetuum erat, adhiberetur, verum etiam deinde, anno nimirum MDCXLIV. iussu principis Dresdam

Dresdam migrare cogeretur, aulici consilarii honore auctus. Inde Ordinarius ad nos rediit, sed denuo, vt sanctiori atque intimo Consilio perpetuus principis comes interesset, lares patrios in metropolin transfert. Quoniam vero professores sibi nunquam satis bene in palatiis placent, ipse etiam taedio splendidioris vitae missionem petiit, et impetrauit. Ergo iterum Lipsiam anno MDCLXI, reuersus Scabinatu denuo interesse coepit, vbi hoc singulare accidisse rumor est, vt idem ille CARPTOVIUS, qui tribus lustris antea iam primum in Scabinorum collegio locum tenuerat, cum non aliam, quam vltimam sedem, quae tunc, caeteris iam occupatis, vacabat, obtinere posset, rara et incredibili felicitate, vniuerso collegio intra paucos annos emortuo, altera vice huius dicasterii Senior euaderet. Hoc ego absque duplae stipulatione Vobis, AUDITORES, de plano ita refero, vt Scabini quidam mihi retulerunt. Ipsum autem placidum musei silentium crepitantis aulae fragori et basilicis praetulisse, illud suum omnibus cognitum symbolum attestatur, quod etiam tunc, cum Dresdae incimus principis consiliarius erat, albis peregrinantium studiosorum et amicorum inscribere solebat: *Extra Academiam pessime viuuntur.* Scripta eius vix enumerare possum, nec comprehendere, quomodo is vnus homo, tot negotiis distractus, quae sciret ipse, etiam aliis impertire potuerit? In Definitionibus Forensis Iurisprudentiae ANTONIUM FABRYM Galliae ICTum imitatus, qui suum in Codicem Commentarium etiam per *Definitiones forenses* distinxit. De ecclesiastica iurisprudentia, quam postea edidit, ipse ingenue fateatur, sibi ea, quae CROLLIUS, Vi-tebergen-sis ICTus, in suum commodum annotauerat, ab heredibus tradita fuisse, vt pleraque in hoc eius ecclesiastico iure Crolliana sint, neque ipse fere quicquam aliud, nisi interdum rationes decidendi ex legibus addiderit. His aliisque celeberrimis et vtilissimis scriptis tantam nominis famam atque auctoritatem sibi conciliauerat, vt adhuc viuus, *Pater Practicae* et *Saxoniae Papinianus* vocaretur. Veneror ego saepius eius vere expressam imaginem, cui amicus quidam hos versus subscripsit:

*Quod Romae bis quinque viri, Spartaque Lyeurgus,
Cecropisque Solon: Saxoniae id vnus erat.*

Exequias ipse Elector Saxoniae et Serenissimi fratres, missis legatis, cohonestarunt, neque tamen erat, cum moreretur, Ordinarius, sed multis antea annis Dresdam vocato

GEOR-

✻ ✻ ✻

GEORGIUS TOBIAS SWENDENDOERFER

XXIV. **GEO. TOB. Norimbergensis** successor datus erat, de quo nunc pauca commemorare debeo. Non tam magni, quam, si pronuntias, longi nominis **SWENDENDORFER** **DENDOERFERVS**, prima adolescentia fere omnem Europam itinere emensus, linguarum notitiam et rerum publicarum cognitionem insignem sibi parauerat. Post, cathedra cohonestatus, processualia quaedam et disputationem de *Anatomia medicorum, iure diuino et humano licita*, aliasque leuiores scripsit, quas commemorare superfedeo. Scetpra rector septies tenuit et celebratis nuptiis semisecularibus, postquam annos propemodum triginta **ICTorum** collegio praefuisset, senex octoginta et quatuor annorum moritur.

XXV. **IACOBVS BORNIVS** Claudit seculum decimum septimum magnae potentiae **ICTus**, **IACOBVS BORNIVS**, professoris filius, vltimus eorum, qui simul Academiae et vrbi seruiens, iunctis Ordinarii et Consulis officiis functi sunt. Neque tamen haec cum **LINDEMANNO**, **FACHSIO**, **MODESTINO PISTORE**, **MONACHO** et **FINKELTHAVSIO** ei communia, sed potius commemoranda sunt, quae maiora ipsi congerunt. Superauit nempe omnium fortunam eo, quod Regis magni **FRIDERICI AVGVSTI** familiaris atque carissimus amicus, retentis ambobus vrbis huius officiis, consiliarius intimus in aula Saxonum per multos annos summa cum potestate splenduit. Nostrum vero collegium magis, quam caetera (inerat enim pluribus) dilexisse, eius testamentum approbat, in quo stipendia legauit filiis Assessorum Facultatis, quos primo loco nominat. Quod si autem Iureconfulti forte improles essent, secundo loco Scabinorum liberos admittit, et tandem, si neque his liberi essent, qui litteris et iurisprudentiae operam darent, tertio loco demum Senatorum filios vocauit. Illo tempore, quo iura adhuc **BORNIVS** ex hac cathedra docebat, **Helmstadiensis ICTus HENRICVS HANNIVS** suas *quinque species iuris in re* orbi obrudebat, cui noster potissimum obstitit, atque non nisi vnicum ius in re statuit, nempe dominium; caeteras enim formas, quas **HANNIVS** tales putabat, esse meras domini modificationes. Diuturno eius fere triginta annorum praesidio, quo collegium nostrum Ordinarius, plerumque absens, ornauit potius quam ordinauit, simul cum vita Dreidae deposito, anno huius seculi nono, quo tertia Academiae secularia celebrantur, successorem nanciscitur

LVDERVM

❁ ❁ ❁ ❁

XXVI.

LÜDERVM MENKENIVM, Oldenburgi in Frisia orientali natum atque non tam corporis statura, quam ingenio praestantem, I. Ü D E R
 pius, vita moribusque purum et iuris ciuilis anxie diligentem. Sol- MENKE Or-
 lerter ille singulis diebus opiniones, quas collegium recepisset, anno dinarius 1709.
 tare solebat, vnde, titubantibus caeteris, semper varia rerum iudica- mortuus 1726.
 tarum exempla ei in numerato erant, ex quo porro euenit, vt eius d. 29. Iun.
 sententiae etiam nunc caeterorum opinionibus, apud nos, praeualeant, act. LXVIII.

atque in eius Pandectis, quas locupletissimas SCHÖNIVS edidit, magnam praeiudiciorum copiam et in omni, non dicam pagina, sed quolibet fere versu, vñtatissimam eius rationem decidendi legamus: *Ita respondit Facultas Iuridica Lipsiensis.* Saepe ego miratus sum, qui fieri potuerit, vt corpore vir adeo tenui atque pusillo tantos labores, tantos scriptarum litium acervos atque succrescentem quotidie et conglomeratam actorum iudicialium congeriem, tanquam *Sisyphum saxum recidiua mole resoluens*

ad annum sexagesimum octauum peruenire potuerit, quo apoplexia tactus, cum stans ad pulpitum sacra Bibliorum oraculo consulere. Praeceptores habuit in Lipsiensi schola ANDREAM MYLIUM in Ienensi autem, Seniore STRUVIUM. De caetero iuvat annotare, sub huius MENKENII Ordinariatu, primum coepisse doctores, vti vocantur, extra Facultatem creari, deinde etiam anno MDCCXXV. professores iussu Regis in collegium recipi, quod antea, si Ordinarium excipias, solis doctoribus nostris patebat.

XXVII.

Iam sanctos MICHAELIS HENRICI GRIBNERI MICHAEL
 manes veneror, qui suo exemplo illam nimis rudem ac sordidam sto- HENR. GRIB-
 lidioris turbae opinionem satis refutauit, iurisconsultum pragmaticum NER Ord. 1726.
 non posse literatum esse. Vix enim in alio maior iuris, praesertim mortuus 1734.
 publici, aliarumque artium cognitio, vix acrior pulchri sensus. No- d. 29. Febr.
 stis adhuc, AUDITORES, et meministis bene, bibliothecam ab eo aetat. LII.
 optimis et elegantioris potissimum litteraturae operibus euacuatis-
 simam instructam fuisse, atque inde euenisse, vt ab his magistris, mortuis quidem nec tamen muris, quantum dissent aera lapsius, adificeret et diligens ingeniorum scrutator doctos, qui vere sunt, ab his qui putantur, probe discerneret. Vir fere magnus et longiori vita dignus, cui illud ENNI accomodauerim:

secunda loquens in
Tempore, commodus et verborum vir paucorum.
Multa tenens antiqua sepulcra et saepe vetusta
 Quae

C

Quae facit, et mores veteresque nouosque tenentem.

Multorum veterum leges diuum hominumque

Prudentem, qui multa loqui, tacereve posset.

Prima aetate Vitebergae iura propemodum omnia publice docebat, vsque dum, Dresdam euocatus, tabulario regis archiuarius praeponeretur, vbi etiam emendandae Processus Ordinationi, quae tunc noua promulgabatur, in consilium adhibitus. Neque vero in his tantum perseuerauit, quae maiores per manus ipsi tradiderant, sed etiam quaedam noua ipsum excogitasse, constat. Nam, quae prius incognita erat, *Iurisprudentia Illustrum Priuata*, ab hoc primo parente progenita. Stabiliendae huic heroicae iurisprudentiae, disputatio eius: *de praetudicio principum imperii ex abusu iuris Iustinianei*, a LEYSERO, STRYKIO, WERLHOFIO, LYNKERO ET RHETIO impugnata, ab aliis vero defensa, et controuersiae hinc inde agitatae occasionem dederunt. Nempe sic fieri solet, vt in rebus inueniendis plus saepe casus, quam studium ingeniumque valeat. Statura eius admodum proceram, neque tamen tam nobilis et super omnes excellens, quam successoris eius

XXVIII.

CAROLVS
OTTO RE-
CHENBERG
Ordinar. 1734.
mortuus 1751.
d. 7. Apr.
aetat. LXII.

CAROLI OTTONIS RECHENBERGII, Adami theologi et Susannae Catharinae Speneriae filii, quae mulier adeo litterata, vt non solum puerum Carolum doctrina informaret, sed etiam, cum iter per Germaniam faceret, comitaretur, ne alio conductore opus esset. Nullus vero aptior nostro contingere potuisset itineris litterarii comes, quam illa eius mater doctissima, cui familiare cum viris fama et eruditione celebribus et diuturnum erat epistolarum commercium. Vultus RECHENBERGII, vt iam diximus, non qualis professorum, quos studia literarum emacerant, sed qualis regum esse solet. Magni et ardentes oculi, vox blanda et suauiter defluens, vt non hominem loqui, sed tibiam molles dulcissimosque cantus modulari crederes, quae quidem canora et suauis verborum pronuntiatione ita omnium sensus demulcebat, vt, etiamsi parum accommodata ad rem dixisset, vtilissima pronuntiatione videretur, omniaque non tantum verba eius, sed etiam syllabae, grauitatem insignem et sapientiam spirarent. Saepius dixi et dico etiam nunc: Natura cum RECHENBERGIUM formaret atque haud dubie alicum facere intenderet, non tam consilio quam errore sati, professorem exiisse. Inter scripta non aliud magis placuit, quam inauguralis disputatio: *de eo, quod in piis causis est impium*. Ne vero praecceptores taceamus, GERHARDO TITIO, ingenioso quidem sed audaci iuris nouatori et CHRISTIANVM THOMASIVM imitanti, adeo adhae-

adhaerebat, vt praeter hunc vnum, alios iureconsultos ne legisse quidem videretur. Pleraque enim perspicax et admirabile ingenium ei subministrabat, quo ita excelluit, vt in collegio causae controuersae statum facile peruideret ac sententias pronunciarer absque vlla deliberatione. In iurisprudencia naturali, officia hominum et iura vniuersa *ex philautia bene moderata*, ei profluere videbantur, quae sententia multorum fuit, ab ipso nouis tantummodo verbis pronuntiata. Caeterum tam pulchrum corpus et succi plenum, appropinquante senectute, adeo debilitatum oblanguit, vt lectulo plerumque captum teneretur et rarum esset, si non aegrotaret. Peculiare, quo periit, morbi genus et naturae inusitatus singulari disputatione eius medicus HUNDERTMARKIVS *) ex professo describendum putauit.

Vale RECHENBERGI! nam tuus successor nos vocat IOHANNES GODOFREDVS BAVER, quem incomparabilem virum, quia publica recordatione diuis eius manibus, intra paucos menses, cum parentalia venerint, iusta pro more soluere et merita commemorare debemus, in praesenti supersedeo laudare.

Excipio hunc ego, (nisi vetustas vnus alteriusue nomen forte obliterauit,) trigessimus in numero Ordinarius: Quam immortalis Dei Propitiam in me voluntatem et infinita, quae ab hoc praepotente rerum omnium moderatore, mihi bona promanarunt, dum supplex veneror ac pia mente recolo, audeo quidem ciues meos et vos inprimis, GENEROSISSIMI ET NOBILISSIMI IUVENES! meo exemplo admonere, vt regimen rerum vestrarum et fortunarum omnium tam prouido et liberali humanae fortis dispensatori et arbitro fati vnice committatis, atque propriis viribus aut meritis nihil tribuatis. De me quidem, vt nihil aliud, hoc tamen vere praedicare possum, a prima adolescentia, quantum in potestate esset, recte faciendo et aequo animo perferendo varia laborum atque etiam valetudinis non semper sat sibi constantis incommoda, huic coelesti clientelae ac fidei me totum commississe.

Te nunc porro veneror ALME ET AETERNE DEVS, atque maxime rogo venerabile et immortale numen, vt memorem tantorum beneficiorum animum, dum viuo, mihi conferues et corpus ad quasuis aerumnas obdures, deinde etiam, et hoc maxime quidem, vt amplissimam illam atque regalem, pro qua non metuam mori, Celsitudinem serenissimi ac longe elementissimi Electoris et Domini nostri, FRIDERICI CHRISTIANI, cui auspicia regiminis felicia, et meo, et collegii

*) Hundertmark. disp. de Vrina Cretacea.

XXIX.
IOH. GODO-
FR. BAVER
Ordin. 1734.
d. 7. April.
mortuus 1763.
d. 2. Mart.
aetat. LXXVIII.

collegii, imo totius Academiae nomine deuotissima mente et, quanta
 possum, reuerentia obsequiosissime gratulor, porro tuearis, dominoque no-
 bis carissimo et coelitus dato, eiusque serenissimas CONIVERTI atque spei
 in LIBERIS publicae, vniuersae denique Saxoniae DOMINI perennita-
 rem praestes, quam nullus casus, nulla fortuna debilitare possit. Floreat
 etiam sanctissimus atque intimus Domini nostri SENATVS. Quicquid
 illi heroes togati, quicquid sapientes et ter excellentissimi rerum Saxoni-
 carum ministri, et fulcimenta publicae salutis: LOSSII, REXII, STU-
 BENBERGII, STAMMERI, FRITSCHII, GLOBIGII in Acade-
 miae et totius patriae vtilitatem suscipient, quicquid agent, hoc ille vni-
 uersi moderator DEVS, feliciter prouehat atque secundet. Neque enim
 illi pro sua pietate et sapientia quicquam volent, nisi quod vtilitatem
 patriae, gloriam litteris, salutem nobis, felicitatem omnibus tribuat.

Dixi.

I N D E X

QVATVORDECIM ORDINARIORVM LIPSIENSIVM
 QVORVM IMAGINES AVDITORIVM PETRINVM
 NON HABET.

- I. *Conradus Thus.*
- II. *Iacobus de Radewitz.*
- III. *Arnoldus Westphal.*
- IV. *Conradus Donekorp.*
- V. *Theodoricus de Burgsdorf.*
- VI. *Iohannes Scheibe.*
- VII. *Iohannes ab Eberhausen.*
- VIII. *Iohannes de Breitenbach.*
- IX. *Iohannes Schantz.*
- X. *Iohannes Liniteman.*
- XI. *Iohannes Kochel.*
- XIII. *Georgius de Breitenbach.*
- XIV. *Ludonicus Facbs.*
- XVIII. *Iohannes Monachus.*

CAETERORVM VERO OMNIVM DEPICTI VOLEVNS
 IBI CONSPICIANTVR ET ADSVNT.



Yc 6769




56.

Retr ✓ 9.1.01

H.C.

1577





CAROLI FERDINANDI HOMMELII
ORDINARIII LIPSIENSIS ET HOC TEMPORE
ACADEMIAE RECTORIS

ORATIO INAUGVRALIS

DE

ORDINARIIS FACVLTATIS
IVRIDICAE LIPSIENSIS

DIE XIX. OCTOBRIS RECITATA



LIPSI AE ANNO CIOIOCCCLXIII.

EX OFFICINA LANGENHEMIA.

20

